

repletus fuisset aquâ flavo colore (ut eò distinctius cerneretur) imbutâ , subito conversus admoto prius digito ad orificium A, & vitro laxiori F, (quod notabilem partem ejusdem aquæ continebat) immersus, omnem primum aquam ad summitatem B usque suspensam tenebat, recluso licet orificio A; ob causam nempe è Tent. III. Conclus. I. & III. manifestam: Deinde verò sublato paululum tubo A B, extra vitrum F, ut aliquid aquæ efflueret, ascendente in ejus locum aëre, & spatium B C, ex. gr. complente, immersus est iterum tubus aquæ F, & sic Thermoscopium erat paratum. Tunc enim vidimus, admotâ manu calidâ ad sphaerulam B, aquam ex C subinde descendere versus D: contra verò eâ remotâ iterum, aut applicato ad B linteolo in aqua frigida madefacto, eandem aquam non solum redire ad C, sed ad E usque etiam eniti.

PHÆN. II. Secundum Thermoscopii genus erat tubulus recurvus A B C D, (Vid. Fig. XXXVI.) per cujus orificium apertum D infusus erat Spiritus vini rectificatus, colore subcæruleo imprægnatus, ita quidem (quod ipsa tubi angustia sua sponte efficiebat) ut sphaerula A, plena aëris manens usque ad B, ascensuram aquam non admitteret. Sic igitur parato instrumento, cum admoveretur calida manus sphaerulæ A, Spiritus B C è vestigio ascendebat à C versus D (motu, priori planè contrario) cum removeretur iterum, aut frigidi quippiam applicaretur, non ad C solum redibat, sed porrò etiam descendebat, sublatus ab altero extremo B ad mediam fermè sphaerulam A.

PHÆN. III. Tertium, è duobus prioribus fermè compositum sic habebat: Parato posteriori genere A B C D planè ut antea, super



impo-

G